UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli Neapol. Societ. Iesv

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1620

Deipara quatenus Christi mater, quantoperè sit diligenda, num. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60948

Visual Library

lios traditi ſumus in Ioanne illis verbis: *Ecce filius tuus*: cumque ipſa matris munera in nos egregiè præſtet, nos quibus Christus in Ioanne dixit: *Ecce mater tua*: omni affectu eam colere, atq; vt filij venerari debemus.

5 Quintum, quoniam Virginis deuotio triplicem illam *boni* rationē complectitur: eſt enim bonum *honeſtum*, *vtile*, atq; *delectabile*.

6 Sextum, Deiparę deuotio inter pręcipua *prædeſtinationis* ſigna cōnumeratur, vt propterea ſit valdè expetenda.

7 Septimum, exemplum *Sanctorum*, qui ab initio naſcētis Eccleſiæ omnes B. Virginis ſtudioſiſſimi, ac deuotiſſimi fuere, nunc de vnoquoq; horum capitum nonnulla breuiter perſtringamus.

I.

DEIPARA QVATENVS CHRIſti Mater quantoperè ſit diligenda.

5 AC primum quidem ad eius nos deuotionem illud plurimum permouebit, ſi animo reputemus, quòd Chriſti Dei noſtri, cui omnia noſtra debem', vera ſit *Mater*, quem ſola ſine viri opera de Spiritu ſancto cōcepit, vt propterea tanq̃ *Deipara* ab omnib' Chriſti fidelibus sū mo affectu, ac ſtudio proſequenda, atq; colen-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

colenda ſit, quam Chriſtus tãtoperè honorauit ipſe, & ab omnibus vult honorari: *Si enim*, inquit Damaſce. orat. 1. de dormit. B. Virg. loquens cum ea: *honor is, qui conſeruis habetur, beneuolentiam erga communem dominum declarat, quo tandẽ modo ſtudium te honorandi, quæ Dominum peperiſti, negligendum erit? An non illud vel neceſſario ſpiritui preferemus? ac vel etiam ipſi vitæ anteponemus? Hac enim ratiõe noſtram erga Dominum beneuolentiam luculentius oſtendemus.* hæc ille. *Damaſc.*

Quòd ſi Deum *Pſalm. 150* in ſanctis eius laudare, & *Eccl. 43* benedicere, & exaltare illum quãtum poſſumus iubemur; profectò cum Virgo beatiſſima non tantùm præ omnibus puris creaturis ſanctitate præfulſerit, *vt in ſuperioribus oſtendimus*: verùm etiam ſit vera Dei Genitrix, in qua Dei magnificentia, atque maieſtas præcipuè elucet, in ipſa quoque peculiari quadam ratione, quantum poſſumus, Deum laudare debemus. *Pſalm. 150. Eccl. 43.*

Quòd ſi S. Leo *ſerm. 1. de S. Laurentio*, gloriandum nobis dicit eſſe in Domino, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis: quãto magis, quia mirabiliorem ſe oſtendit in ſua Genitrice, peculiariter propter illam in Domino gloriari, ac ſi viciſſim propter Dominum eam ſingulari dile- *S. Leo.*

ctione proſequi debemus? *Sicut enim du-*
Bernard. *bium non eſt*, inquit Bernard. homil. 4. ſuper Miſſus eſt, *quicquid in laudibus Matris proferimus, ad filium pertinere.* & rurſum: *Cùm filium honoramus, à gloria matris nos non recedere*: ita etiam cùm erga Virginẽ ſingulari pietatis ſenſu colendã ſtudium noſtrum impendimus, id totum peculiari ratione in Christi eius filij honorem, à quo ipſa omnia accepit, terminari: imò hæc eſt voluntas Chriſti, vt ſuæ Genitrici hunc cultum exhibeamus.

Virginis honor in Chriſtum redundat.

Bernard. Quare Bernardus ſermone de Aquæductu: *Totis*, inquit, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam, in omnibus ſiquidem, & per omnia prouidens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidẽtiam abijcit, erigit puſillanimitatem.* hæc Bernardus.

Chriſtus vult matrem honorari.

Quod mirum non eſt, ſi enim iuxta
1. Reg. 2. verbum Domini 1. Reg. 2. *Quicunq; glo-*
Ioan. 12. *rificauerit me, glorificabo eum.* & Ioan. 12. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus*: quãta gloria, & honore Deus optimus Virginem Deiparam non ſolùm in cœlis, ſed etiam in terris cumulauit, quæ ita Deum in ſe glorificauit, vt Bernardus

nardus ſer. de Pent. de Virgine ſic loqua- *Bernard.*
tur: *Tota Trinitas de plenitudine eius ac-*
cepit gloriam & Cyrillus hom. 6. in Neſto *Cyrillus.*
rium: *Per te*, inquit, *Trinitas ſanctificatur:*
per te Crux glorioſa celebratur. & alij Pa-
tres *quos cap. 17. citaui fuſè*, in eandẽ ſen-
tentiam multa proferant.

Quàm ſedulo autẽ Chriſto miniſtrauerit, diximus cap. 9. & 12.

Ex quo facilè inferre poſſumus honorem quem Chriſtus ei vult ab hominibus exhiberi; ideo enim Chriſtus per ipſam tot beneficia eam inuocantibus confert, vt omnes ad eius benignitatis aſylum confugiant, eam pro viribus venerentur, ideoque eius reuerentiam, ac deuotionem in cordibus omnium fidelium altius impreſſit, vt ex iis, *quibus totum hoc opus inſperſimus*, perſpicuè conſtat.

Quocirca de Virgine Deipara eccleſia
in officio eiuſdem Virginis profert illud
Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion*, hoc eſt a- *Cant 6.*
nimæ fideles, *& beatiſſimã prædicauerunt:*
Regina, id eſt præſtantiſſimorum ſancto-
rũ, *& concubinæ*, hoc eſt aliorum etiã ſan-
ctorũ animæ *laudauerunt eã*, & Prou. vlt. *Prouer. 31*
de muliere illa forti, quæ, *vt cap. 24. dixi*,
Virginem ſanctiſſimã ſignificat, verè di-
citur: *Surrexerunt filij eius, & beatiſſimam*

prædicauerunt; vir eius, & laudauit eã: nõ ſolùm enim fideles, qui sũt filij Virginis, ſed ipſe quoq; Chriſtus, vir filius eius, de

Ierem. 31. quo dicitur Ierem. 31. *Fœmina circundabit virum*, laudauit eam: & Virgo ipſa Spiritu ſancto afflata hoc ipſum agnouit cùm

Luc. 1. dixit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Hinc eſt, quòd SS. Patres tanquã Dei optimi matrem præclaris encomijs, & epithetis, atq; attributis illã omni reuerẽtię ſignificatione ſuppliciter inuocant: & vt omittam precandi formulã in ſacrificio ipſo, qua vti ſolet Eccleſia Latina, in quà omnibus conſtat quàm crebrò, quã reuerenter non tantùm in Miſſis, quæ de Virgine celebrãtur: ſed etiam in qualibet Miſſa, in precibus, quæ ſubmiſſa, & alta voce à Sacerdote recitantur, inuocetur: dicam ſolùm de alijs liturgijs, ſiue ſacrificãdi formis, quas ſancti Patres recitandas in Eccleſia præſcripſerunt, in quibus ex perſona Eccleſiæ humiliter, ac reuerenter inuocatur: nam de ſanctorũ erga Virginem veneratione ca. ſeq. diligẽter nobis agendum erit.

Sancti in Liturgÿs quã honorificè de Virgine loquuntur.

S. Iacobus. 6 S. Iacobus in ſua Liturgia: *Commemorationẽ*, inquit, *agamus ſanctiſſima, immaculata, glorioſiſſima, benedicta Domina noſtra Matris Dei, & ſemper Virginis Maria,*

& om-

& omnium ſanctorum, & iuſtorum, vt precibus, atq; interceſſionibus eorum oẽs miſericordiam conſequamur & iterũ in perſona chori dicitur in eadem Liturgia: *Dignum eſt, vt te verè beatã dicamus Deiparã ſemper beatã, & omnibus modis irreprehenſam, & matrem Dei noſtri honorabiliorem, quàm Cherubim, & glorioſiorẽ, quàm Seraphim, quæ ſine corruptione Deum Verbũ peperiſti, te re vera Deiparã magnificamus* & rurſus: *Tibi ô plena gratia, vniuerſa creatura gratulatur, Angelorum cœtus, & hominum genus, quæ es Templum ſanctificatum, Paradiſus ſpiritualis, Virginum gloria, ex qua Deus carnem aſſumpſit, & puer factus eſt Deus noſter, qui eſt ante ſecula.* hæc in Liturgia S. Iacobi.

S. Baſilius Caſarien.

S. Baſilius Cæſar. in ſua Liturgia, S. Iacobum imitatus ſic habet: *Sanctiſſima, & intemerata dominatricis noſtræ Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ cum omnibus ſanctis memorãtes, nos ipſos, & ad inuicem, atq; omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendamus*, quod quinquies in eadem Liturgia repetit.

S Ioannes Chryſoſt.

S. Ioan. Chryſoſt. in ſua liturgia: *Precibus*, inquit, *ſanctiſſimæ Deiparæ Virginis ſeruator ſerua nos*: & ſæpius ibi eã implorat, prę ſertim hac precatione, quam identidẽ repetit: *Sãctiſſima, intemerata, & ſuper oẽs*

benedicta glorioſa Domina noſtra Deipara, & ſemper Virginis Maria cum omnibus ſanctis memoriam agamus. & iterum eam *honoratiorem Cherubim, & glorioſiorem incõparabiliter Seraphim; ſemper beatiſſimam, & penitus incõtaminatam Dei noſtri matrem* nominat. Et cùm ſacra Euchariſtia eſt ſumenda hęc verba à duobus dicenda pręſcribuntur: *Ex interceſſione immaculata domina noſtra Deipara, & ſemper Virginis Maria dignum me fac, vt ſine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remiſſionem peccatorum, in vitã æternam* & infra: *Dirige noſtram viam, confirma nos in timore tuo omnes, cuſtodi vitã noſtram, ſtabili noſtros greſſus, precibus, & ſupplicationibus ſancta Deipara, & ſemper Virginis Maria, & omnium Sanctorũ.* hæc ex Liturgia S. Ioannis Chryſoſtomi.

In *Miſſa*, qua vtuntur *Æthiopes*, eſtque perantiqua, quam *canonem vniuerſalem* vocant, & habetur tom. 6. Bibliot. Sanct. Patr. cuius auctor fuiſſe dicitur S. Matthæus, teſte Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 60. ſect. 1. preces funduntur in hęc verba: *Latare immaculata verè Regina, latare gloria noſtrorum parentum; quia peperiſti nobis Emanuelem, ô verè mediatrix ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, te ſupplices exoramus, vt memor ſis noſtri. ora pro nobis, vt*

Biblioth. SS. Patrũ. Suarez.

bis, vt deleantur iniquitates noſtræ. hęc ibi. Ex quibus ſatis apparet, quanto ſtudio Virginem ſanctiſſimã hoc nomine, quòd *Dei genitrix* ſit, colere debeamus.

I I.
DEIPARÆ IN NOS beneficia.

7 SEcundò ad Virginis deuotionẽ prę- cipuè nos vrget animi *gratitudo*, ꝓpter innumera, eaq; præſtantiſſima ab ea tum in vnumquemq; noſtrum *peculiariter*: tum etiã *generatim* in vniuerſum hominum genus collata beneficia, quę non minoris ab vnoquoque facienda ſunt, q̃ ſi ſolus ipſe accepiſſet, & quidem beneficia ea, quæ dicũtur *occulta* omittam, quæ licet nos lateant; ipſa tamẽ pro ſua in nos benignitate in dies procurare non ceſſat, ſiue cùm nos à certiſſimis, quæ impendent *periculis* ſeruat immunes: ſiue cum multa *bona* confert. quæ beneficia nunc occulta, in futura, vt ſperamus, vita nobis aperientur vniuerſa: vt eo ſaltem tẽpore tantę benefactrici gratias agere pro virili parte poſſimus.

De his beneficijs, quę occulta appellare licet, & à Deipara accepimus, & expectamus. Nazianzenus in tragœdia de Christo patiente, ad Deiparam ſermo- *B. Virginis occulta beneficia.* *Nazianz.*

nem